


Specimen Exegetico-Theologicvm De Glorificatione Christi Ad Locvm Joh. XIII. v. 31. 32.

Tubingae: Litteris Sigmundianis, [1758?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862182433>

Druck Freier  Zugang





413 a. B.
48. 6. 8.

26.

Fa-1092 (26.)

2.

3.

4.

3

38.


37

42

5.



2.
3.
3.
7.
0.
9
3
1.
238.
337
34.
35.



2.

3.

3.

4.

5.

6.

7.

13

17.1.


16.2.38.

3337

345

35.

3.



SPECIMEN
EXEGETICO-THEOLOGICVM
DE
GLORIFICATIONE
CHRISTI

AD LOCVM JOH. XIII. v. 31. 32.

RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO

JOH. CAROLO LVDOVICO,

COMITE PALATINO RHENI, DVCE BAVARIÆ, COMITE
VELDENTIÆ ET SPONHEMII, rel. rel.

PRÆSIDE

VIRO SVMMÆ REVERENDO,

DOMINO

CHRISTOPHORO FRIDERICO
SARTORIO,

S. S. THEOL. DOCTORE ET PROF. PVBL. ORD. SEMINARII

DVCALIS THEOLOGICI SVPERATTENDENTE,

FACVLTATIS THEOLOGICÆ p. t. DECANO,

D. SEPT. MDCCLVIII.

IN AVLA NOVA

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMISSVM

à

GE. ERN. FRID. HARPPRECHTO, *Waldenb.*

S. S. THEOL. CVLTORE.

TVBINGÆ, LITTERIS SIGMVNDIANIS.



§. I.



Mihi, nuper de themate Dissertationis meditati, insigne ac plurimum fidei nostræ capitum causa memorabile dictum Servatoris nostri unice dilecti visum est, quod in Evangelio Johannis ejusdemque Cap. XIII. vers. 31. 32. legere licet; quare istud quoque meditationum mearum materiam esse volui, & breviori disquisitione haud indignum censui. Verba textus nostri ita sese habent: λέγει ὁ Ἰησοῦς, νῦν ἐδοξάσθη ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, καὶ ὁ Θεὸς ἐδοξάσθη ἐν αὐτῷ· εἰ ὁ Θεὸς ἐδοξάσθη ἐν αὐτῷ, καὶ ὁ Θεὸς δοξάσει αὐτὸν ἐν ἑαυτῷ, καὶ ἐνθὺς δοξάσει αὐτόν.

I. Verba textus.

§. II. Ante omnia de genuina oraculi nostri lectione nos esse sollicitos fas est. In plerisque editionibus contextus sic legitur: ὅτε ἐν ἐξῆλθε, λέγει ὁ Ἰησοῦς, νῦν ἐδοξάσθη ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου &c. Verum illam particulam ἐν omitunt non modo Complutensis & ROB. STEPHANI editio, quam aliæ multæ sequuntur; sed etiam Manuscripti Codices, Augustanus I, Byzantinus, Gehlianus, Hirsaugiensis & Moscuensis. Præterea THEOD. BEZA, quamvis ipse illud ἐν habeat, ERASMVVS secutus, faterur tamen, omnes

II. Lectio genuina.

vetustos codices (qui nempe ipsi innotuerant) illo *ἐν* carere. Omisere etiam ex Patribus CHRYSOSTOMVS & THEOPHYLACTVS; omittunt *versiones Arabica, Gothica, Syriaca*. His igitur argumentis motus B. Dn. D. BENGE- LIVS illud *ἐν* abesse à textu debere censuit, & lectionem alteram, quæ habet: *ὅτε ἐν ἐξῆλθε*, probandam non esse, ex collatione suffragiorum pro utraque militantium iudicavit. Vid. *Appar. Crit. p. 595*. Quodsi vero omitti debet hæc particula, non potest non deinde interpunctio textus ea constitui, quam habet Novum Testamentum BENGE- LIANVM: *λαβὼν ἐν τὸ ψωμίον ἐκεῖνος, εὐθέως ἐξῆλθεν ἦν δὲ νῦν, ὅτε ἐξῆλθε. λέγει ὁ Ἰησῆς, νῦν ἐδοξάσθη ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, καὶ ὁ Θεὸς ἐδοξάσθη ἐν αὐτῷ*. Quodnam sit hujus lectionis & interpunctionis momentum, & quousque reliquis contextus ei faveat nec ne, patebit ex porro dicendis.

III. Confide-
ratio Vocum.

§. III. Jam ergo constituta sic lectione proximus labor noster in consideranda *vocum ac phrasum* vera significatione versari debet; ad eas igitur ordine attendemus.

νῦν

Nῦν, nunc, particula est tempus præsens significans; hoc tritum ac facile. Sed illud magis hic expendendum, an significet hoc loco absolute, an vero accipienda sit cum respectu ad factum aliquod, ad cujus existentiam, ab ipsis etiam discipulis observatam vel observabilem, Christus dicat: nunc quum hoc fieri videtis, (e. g. cum abiit Judas,) glorificatus est filius hominis; ita ut tale factum simul indicium fuerit discipulis, unde, admoniti, cognoscerent, adesse Christi glorificationem. Non omnino perinde est, utrum statuamus. Verum hoc quidem loco, nimirum in ipso tractationis meæ introitu, de hac quæstione nihil- dum licet pronunciare, si quidem justum meditationis ordinem sequi velimus.

ἐδοξάσθη

§. IV. Pergimus igitur ad verbum *ἐδοξάσθη*, quod præcipuum pericopæ nostræ vocabulum est, quinque
in



in ea recurrens, à cuius vera significatione recta oraculi intelligentia magnam partem pendet. Accurate huc spectantia collecta dedit exempla MATTHIAS FLACIUS in *Clave Scripturæ*, voce *Gloria*, p. 373. *Glorificare est*, inquit, *alium gloria ornare, illustrem ac gloriosum reddere. Quod dupliciter fieri solet: nempe, tum testimonio seu agnitione; tum & rebus ipsis. Testimonio tantum alicujus, agnitione, ac verbis aliquis glorificatur: Sicut nos homines Deum & proximum glorificare possumus, ac solemus; cum eum celebramus, ac ejus virtutes prædicamus, ut Matth. V. 16. glorificent patrem vestrum: i. e. celebrent. Matth. IX. 8. XV. 31. glorificabant Deum. Sic etiam ipse Deus se, suumque nomen glorificare dicitur, ut Lev. X. 3. in accedentibus me sanctificabor; & coram toto populo glorificabor. Exod. XIV. 17. in Pharaone glorificabor; cujus significationis sunt plane innumera exempla. Porro glorificare aliquis aliquem dicitur etiam ipsis rebus, ornando eum præclaris virtutibus, donis, ac bonis: ut Deus nos miseros ac ignominiosos homines glorificat, justificando & renovando nos. Rom. VIII. 30. quos justificavit, hosce & glorificavit. Psalm. CXLIX. 4. glorificabit humiles (aut afflictos) in salute: id est, salvando, liberando eos. Actor. III. 13. Deus resuscitando dicitur Christum glorificasse: id est, in gloriam evexisse, & etiam gloriosum hominibus declarasse. Hanc glorificationem querit Christus à Patre Joh. XII. 23. XVII. 5. ut scil. ex illa tristi exinanitione atque humiliatione, seu forma servi, resituatur in illam pristinam formam DEI, quam apud Patrem habuit ante conditum mundum. Patet ex hisce exemplis, ex usu Scripturæ duplicem esse verbi *δοξάζειν* potestatem. Nunc tantum denotat gloriæ manifestationem & agnitionem, nunc vero realem ejusdem collationem. Uter significatus hic locum habeat, iterum ex sola vocabuli consideratione determinari, atque adeo hoc loco certi quid definiri non potest.*

§. V. Subjectum cui glorificatio adscribitur, est *ὁ υἱὸς ὁ υἱὸς τῆ*
τῆ ἀνθρώπων. Vocat sese Servator, uti in multis aliis S. *ἀνθρώπων*
 A 3 Scriptu-

Scripturæ locis Filium Hominis; ut indicet a) veritatem humanæ in se naturæ, & b) prærogativam suam præ omnibus aliis hominibus prober, id quod ex articulo *ὁ* luculenter patet: Hic sc. filius hominis jam pridem promissus, & per multa Secula Patribus ita desideratus atque optatus, omnibusque Veteris Testamenti Prophetiis indigitatus. *Recte suspicati sunt*, inquit B. D. BENGELIUS in Gnomone N. T. ad Matth. XVI. 13. *Judæi, ea designari Messiam Joh. XII. 34. Nam ut Adamus primus cum tota progenie dicitur homo, sic Adamus secundus (1 Cor. XV. 45.) dicitur filius hominis: non ea notione, qua filii hominis, id est, tenues, opponuntur filiis viri, id est, potentibus. Ps. XLIX. 3. quæve homines communiter dicuntur filii hominum. Marc. III. 28. Eph. III. 5. Ezech. II. 1. & passim: Sed cum articulo, ὁ υἱὸς τῆς ἀνθρώπων. Videtur articulus respicere Prophetiam Dan. VII. 13. unus hic nempe homo est, quem Adamus post lapsum, ex promissione expectavit pro tota sua progenie: ὁ δεύτερος, secundus.... ὁ υἱὸς Filius absolute dictus, i.e. filius Dei promissus datusque homini, Gen. III. 15. Et. IX. 6. Cum vero insigne hoc veræ Christi humanitatis testimonium in S. Scriptura toties occurrat, ut per se satis clarum atque perspicuum sit, prætereaque Evangelistæ atque Apostoli omnes in hoc uno idiomate conveniant, patet, eosdem quoque eodem divino motu scripsisse, atque longiorem disquisitionem supervacaneam futuram esse.*

§. VI. Adjungitur primæ huic Sententiæ mox alterum comma: καὶ ὁ Θεὸς ἐδοξάσθη ἐν αὐτῷ. καὶ arctam quandam connexionem inter Christi & inter Dei glorificationem dicit, quæ spectari potest ut consequens ejus immediatum, quoniam vis particulæ *νῦν* non modo ad præcedens, sed ad hoc etiam incisum pariter pertinet. ὁ Θεὸς Deus, potest essentialiter intelligi, ut prædicatum omnibus tribus personis Deitatis ex æquo conveniat; potest vero etiam

etiam accipi *personaliter*, ut soli Patri attribuat. Verbum *ἰδοξάσθῃ* hoc quidem in inciso facile patet non posse habere collativam significationem, sed tantum *indicativam* ac manifestativam. Nulla enim Deo conferri gloria potest, quam non habuerit. Non habet infinita illa Dei Majestas incrementum & decrementum. *Ἐν αὐτῷ*, potest significare *per illum*, ut sensus sit: per filium hominis, sive opera illius, Deum glorificatum fuisse; potest tamen etiam majus quid ac sublimius dicere, ut simul de intima quadam, *in ipso animo* Christi Servatoris peracta, glorificatione Dei nobis sit cogitandum.

§. VII. Admirabilem ex haecenus dictis consequentiam elicit Servator noster, sic pergens: *εἰ ὁ Θεὸς ἰδοξάσθῃ ἐν αὐτῷ, καὶ ὁ Θεὸς δοξάσει αὐτὸν ἐν ἑαυτῷ*. Primo antecedens ponitur: *εἰ ὁ Θεὸς ἰδοξάσθῃ ἐν αὐτῷ*, ubi de particula *εἰ*, si, observamus, conditionalem esse quidem in se, sed significatum illum hoc quidem loco retinere non posse; cum enim Christus Dominus discrete modo affirmaverit, Deum esse in ipso glorificatum, non possumus cogitare, hoc tam clarum & positivum assertum nunc demum a conditione quadam suspendi. Habet ergo potius particula illa significatum causalem; *Quoniam* Deus glorificatus est in illo, etiam Deus glorificabit illum in semetipso. Non est insolens in S. literis hic significatus particularum *ὅτι* & *εἰ*. Sic Ezech. XXXV. 6. dicitur, *si non sanguinem odisti*, h. e. quia non sanguinem odisti, *etiam sanguis persequetur te*. Gen. XLIII. 10. *ὅτι ὅτι quoniam* ita nunc comparatum est, *hoc facite*. Act. IV. 9. *εἰ ἡμεῖς σήμερον ἀνακριθόμεθα &c.* quia nos hodie accusamur. Plura alia loca B. SAL. GLASSIUS habet *Gramm. Sacr. L. III. tract. VII. Can. VI. p. m. 1099 seqq.* In consequenti, quod sic habet, *καὶ ὁ Θεὸς δοξάσει αὐτὸν*, nulla vox occurrit, quæ non in prioribus jamjam a nobis fuerit considerata. Sed quod adjicitur, *δοξάσει αὐτὸν ἐν ἑαυτῷ*

ἰδοξάσθῃ

ἐν αὐτῷ

εἰ

ἑαυτῷ



ἐν ἑαυτῷ ἑαυτῷ glorificabit illum *in semetipso*, id quamvis admodum facile sit, si grammaticus spectetur significatus, tamen, si rem ipsam considerare velimus, valde magnum & sublime est; quæ vero consideratio, ut ordine justo progrediatur nostra tractatio, hic fieri nondum potest.

§. VIII. Idem dicendum de altero, quod adjungitur, Servatoris effato, καὶ ἐνθὺς δοξάσει αὐτόν. Sensus literæ facilis est: continuo, confestim, statim Deus illum glorificabit. Sed tamen vocabulum ἐνθὺς s. ἐνθέως, secundum GLASSIUM, duplici præsertim sensu in sacris literis occurrit. 1. De instanti tempore & quasi momento accipitur in iis locis, ubi miracula Christi & Apostolorum describuntur, illa enim simul ac verbum Christi sonuit, facta è vestigio fuere; Matth. VIII. 3. καὶ ἐνθέως ἐκαθάρισθη αὐτῷ ἡ λέπρᾶ. & Matth. XX. 34. Marc. II. 12. item in quibus de cognitione Christi activa fermo est. Marc. II. 8. *statim cognovit Spiritu suo.* 2. In aliis vero locis cum aliqua temporis mora accipiendum est, uti v. g. Marc. IV. 5. καὶ ἐνθέως ἐξανέτελλε, & *statim exortum est* sc. Semen. Cum aliqua temporis mora heic intelligendum esse, ipsa natura docet. Sic etiam Marc. I. 21. Jac. I. 24. 3 Joh. V. 14. In genere hæc vox in S. Scriptura sæpissime invenitur, atque illa semper quasi præcedentibus sequentia connectuntur. Sic notandum præcipue venit ἐνθέως illud quod Matth. XXIV. 29. à Christo ponitur, qui, cum de excidio Hierosolymitano & ejus prænunciis signis fuisset ad Apostolos locutus, de die extrema sic fari incipit: ἐνθέως δὲ, statim autem, post tribulationem dierum illorum, Sol obscurabitur &c. ἐνθέως illud non ad nostrum computum, sed divinum, meriendum est, &c. Vid. *Gramm. S. L. III. tract. V. Can. IX. p. m. 951.* & 952. Hoc ergo ex ipsius vocabuli ἐνθὺς sensu nativo intelligere licet, rem illam magnam glorificationis Filii Dei non diu dilatatum iri; in eo jam esse, ut proxime inchoetur.



ur. Vtrum autem brevi temporis momento tota sit ab-
 solvenda, an vero decursura cum aliqua temporis mora,
 brevior aut longior, id ex solo grammatico significato
 decidi non potest, sed inferius in ipsius rei evolutione de-
 mum definitur. Atque hæc de vocabulis ipsis in se spe-
 ctatis.

§. IX. Ad rem ipsam, quæ verbis tam gravibus & mo-
 mentosis significatur, recte considerandam non parum ad-
 ferre potest adjumenti *circumstantiarum* oraculi nostri *histo-*
ricarum consideratio: unde proximum in nostra tractatio-
 ne est, ut earum etiam à nobis ratio habeatur. *Auctor sci-*
licet horum verborum ipse filius hominis, Christus Do-
minus est; unde eorum eo majus momentum, eo gravius
 pondus est. Nemo enim de rebus hisce divinis quidquam,
 nisi illo exponente & revelante, intelligere posset: atque de
 arcanis ejusmodi abditis Divinitatis ille unus omnium opti-
 me docere homines potuit, unus ille omnium maxime fi-
 dem meretur. *Auditores,* quibus loquebatur, habuit disci-
 pulos suos, quibus instituendis, monendis, corrigendis,
 confirmandis in fide, omnem operam adhuc Dominus im-
 penderat. *Loci* consideratio haud scio an ad hujus oraculi
 intelligentiam aliquid conferat. Existimem tamen fuisse
 Bethaniam. Sed eo plus momenti habet observatio *Tem-*
poris. Generatim quidem facile ex tota serie sacræ historiæ
 intelligitur, tempus editi hujus oraculi illud fuisse, quo
 percelliones Christi acerbissimæ proxime instabant; atque
 si pressius definiendum sit, fuisse id tempus, quo non ita
 diu ante suis indicium fecerat de nefario illo homine, quem
 ex numero suorum familiarium, ex ipsorum adeo discipu-
 lorum cœtu, proditorem habiturus esset. Hæc uti facilia,
 sic manifesta ac certa sunt. Sed superest aliud, accuratiore
 dignum investigatione.

IV. Circumstantia hi-
 storica.
 1. Auctor.
 2. Auditores
 3. Locus.
 4. Tempus.

§. X. Nimirum quæritur, an immediate post Judæ De tempore
 proditoris discessum hæc verba protulerit Dominus? Ita plura spe-
 cialiora,
 B videretur



videtur sane ex communi plerorumque sententia, & ex recepta contextus in oraculo nostro interpunctione, de qua §. II. diximus. Nempe existimant plerique interpretem, protulisse hæc Dominum sub noctem feriæ quartæ, quam Mercurii diem appellare solemus, cum peracta Bethaniæ cœna pedes discipulorum lavisset, cum de proditore triste illud indicium fecisset, ipsumque etiam proditorem, data ei offa, propius designasset. Statim post offam sumtam digressus est Judas Ischariotes; & cum digressus esset, communior hæc lectio Jesum verba nostri oraculi proferentem facit. Hoc posito, nihil utique planius ac magis naturale videtur, quam ipsum illum Judæ discessum concipere ut occasionem proximam Domino datam, dicendi: Nunc glorificatus est Filius hominis; sensumque adeo hunc faciendi: Nunc, postquam Judas discessit, glorificatus est. Hinc deinde factum videtur, ut multi Interpretes se obligatos existimaverint ad explicanda verba hæc Domini de tali glorificatione, quæ præcise isto temporis articulo cum ipso contigerit; nonnullis usque adeo in ipso illo Judæ discessu aliquid, quod ad hanc glorificationem pertineret, eamque formaliter constitueret, quærentibus. (*)

§. XI.

(*) Negari non potest, connexionem textus ita formatam peperisse interpretationes quasdam satis coactas. Adferam specimen, quod est apud JO. GERHARDVM *Harmon. ad b. l. p. m. 32.* Verba magni hujus Theologi hæc sunt: *Quidam hoc accipiunt de corpore Christi mystico, ut sit sensus, per discessum Judæ perditionis filii, ejusque a Societate mea separationem, purgatum est corpus meum mysticum, collegium sc. meorum Apostolorum, quemadmodum corpus saburra viscosorum humorum liberatum purgatur ac levius readitur, atque excussa palea remanet purum triticum; redundat autem decor & integritas discipulorum in magistrum.* His epicrisin modestam judiciosamque subjungit hanc: *Sed per Filium hominis intelligi corpus Christi mysticum, ac per glorificationem filii hominis intelligi corporis mystici purgationem, vix poterit idoneo aliquo Scripturæ dicto demonstrari.* Facile quemvis lectorem huic judicio subscripturum esse confido.

§. XI. Sed præcipuum hujus sententiæ fundamentum per se cadit, si genuina textus lectio, & ex genuina lectione pendens vera illius interpunctio teneatur, prout §. II. repræsentata est. In verbis enim ἦν δὲ νύξ ὅτε ἐξῆλθε definit narratio Evangelistæ de Juda. Verba sequentia λέγει ὁ Ἰησοῦς, novum quid narrare incipiunt de Sermone Jesu. Nullum igitur necessarium nexum habet oraculum nostrum cum Judæ discessu. Cogitare licet salvo ordine textus, salva serie narrationis Johanneæ, non magis illo nocturno, quam alio quoquo tempore, & non parvo post Judæ discessum intervallo, Christum illa dixisse. Et revera non illa nocte, sed potius sequenti die, qui feria quinta seu dies Jovis erat, ineunte hæc protulit. Argumentum asserti certum suppeditat versiculus 38, cum Sermonem, quem versiculus noster 30 inchoat, indivulso narrationis nexu cohærens. In eo abnegatio Petri ita prope instare dicitur, ut nullum gallicinium ante abnegationem illam plene peractam futurum sit. Non potuit igitur inter hæc Domini verba ψ. 31. commemorata, & inter noctem abnegationis Petrinæ, alia quædam, eaque integra nox, intercedere. Verba Domini quæ tractamus, plane agnoscendum est prolata fuisse non illa nocte, sed post noctem illam, qua Judas dicitur discessisse ψ. 30. conf. B. DN. D. BENGELII *Harmonie der vier Evangelisten pag. 497. edit. 2.* Ita lectio genuina §. II. indicata novo firmatur argumento, ex ipsa contextus serie petito, cum qua communior illa lectio, particulam εἰ ψ. 30. inferens, conciliari commode non potest. Sed & alium præterea usum spondet accuratior hæc temporis investigatio.

§. XII. Nempe hoc ipsum docet, *occasionem* hujus V. *Occasio:* Sermonis Domini non quærendam esse in Judæ proditoris discessu. Potius cogitandum de iis, quæ postridie, primo nempe mane diei sequentis, contigerunt. Tum Sacerdotes coibant, ac de Jesu comprehendendo inter se agitabant

consilia: accessit, suamque operam sponte obtulit Judas: pactus est cum illis: ad exsequendum consilium divinum de morte Christi spectarunt nunc omnia proxime. Non latebant hæc Christum, qui non unum talem passionis suæ prægustum habebat. In illo igitur intimo sensu eorum, quæ tunc agebantur, ad suos inquit: *νῦν ἐδοξάσθη ὁ υἱὸς τῆς ἀνθρώπων*. Ita manifesta est non tantum occasio hæc proferendi, sed etiam sanctissimus affectus, quo ista locutus est: qui quidem affectus etiam ex abrupto Pericopæ nostræ initio, *λέγει ὁ Ἰησοῦς*, aliqua ratione intelligitur.

VI. Antecedentia & Consequentia.

§. XIII. Ulteriore omnia lucem capient ex eorum, quæ ante contigerunt, & quæ postea dicta & facta sunt, consideratione. In *antecedentibus* duo valde notabilia occurrunt: *unum*, quod triduo ante, postquam intimo animi affectu dixisset, Pater glorifica nomen tuum, confestim voce cælitus delapsa ei responsum fuerit, *καὶ ἐδόξασα, καὶ πάλιν δοξάσω*. Joh. XII. 27. 28. Alterum, quod pridie illius diei, cum multus Christo de suo proditore sermo esset, in medio illius cursu dixit: *Inde ab hoc tempore dico vobis* (illa de proditore), *antequam fiant, ut quum facta fuerint, credatis me esse* (eum, quem Deus misit) C. XIII. 19. Illa autem discipulorum fides quorsum pertinere debuerit, statim sequens versus 20. ostendit, nempe ad firmandam alendamque missionis suæ apostolicæ fiduciam. Eodem spectant & *consequentia*, in quibus statim post oraculum nostrum Christus ostendit, non diu sui videndi copiam porro habituros discipulos, eoque ad mutuam caritatem inter se, & ad fidem, graviter eos cohortatur, *ψ. 33. sq. coll. C. XIV. 1.*

VII. Scopus.

§. XIV. Ita plane patet *Scopus* hujus sermonis Christi. Demonstrat in eo Christus singularem animi fiduciam; ostendit gloriam suam demonstratam esse, ac porro adhuc uberius demonstratum iri; idque eum in finem ita profert; 1. ut discipulos instituat de majestate suæ personæ, atque in fide confirmet, 2. ut ad ea, quæ nunc instarent, attentos,

ros reddat, 3. ut erigat mœstos eorum animos, & ad constantiam in imminente tentatione, nec non ad fidelitatem, in futura Vocatione apostolica præstandam, instruat. Eo comparatus est totus Domini sermo; eo etiam pertinet hæc illius particula quam hic tractamus. *Hic Scopus ultimus, ille intermedius, iste proximus* dici commode potest.

§. XV. Atque nunc ad rem ipsam considerandam tandem propius accedere possum. Habet oraculum nostrum tres propositiones five Enunciationes: 1. *Filius Hominis glorificatus est*; 2. *In Filio Hominis glorificatus est Deus*; 3. *Filius Hominis porro glorificabitur à Deo*. Singularum propositionum variæ considerandæ offeruntur determinationes, nempe 1. Filius hominis nunc dicitur glorificatus; 2. Glorificatio Dei arête *connectitur* cum glorificatione Filii hominis; 3. Vicissim etiam Filius hominis dicitur porro glorificandus, non simpliciter, sed ideo, *quoniam* Deus in ipso glorificatus sit. Singularis hic nexus est. 4. Deus *in se ipso* dicitur filium glorificaturus, & 5. *statim*. Ad hæc omnia video mihi attendendum esse, ut explicationi rei ipsius satisfaciam. Quo autem luculentius pateat, quo pacto omnia hæc in nostro textu insint & connectantur, hanc oraculi

VIII. Consideratio rei ipsius.

damus ANALYSIN: Proponitur in Oraculo nostro duplex Christi Domini glorificatio: I. Glorificatio jam tum peracta; hujus ostenditur 1. objectum personale five *subjectum*, $\delta \upsilon \varsigma \tau \acute{\eta} \alpha \nu \theta \rho \acute{\omega} \pi \alpha$. 2. Actus & forma, $\epsilon \delta \omicron \xi \acute{\alpha} \delta \eta$. 3. Momentum temporis, $\nu \nu$. 4. Connexa Dei glorificatio, $\kappa \alpha \iota \delta \Theta \epsilon \acute{\omicron} \varsigma \epsilon \delta \omicron \xi \acute{\alpha} \delta \eta \epsilon \nu \alpha \upsilon \tau \acute{\omega}$. II. Glorificatio porro peragenda; hujus ostenditur 1. fundamentum, $\epsilon \iota \delta \Theta \epsilon \acute{\omicron} \varsigma \epsilon \delta \omicron \xi \acute{\alpha} \delta \eta \epsilon \nu \alpha \upsilon \tau \acute{\omega}$. 2. Actus & forma, $\kappa \alpha \iota \delta \Theta \epsilon \acute{\omicron} \varsigma \delta \omicron \xi \acute{\alpha} \sigma \epsilon \iota \alpha \upsilon \tau \acute{\omicron} \nu$. 3. Infinita magnitudo, $\epsilon \nu \epsilon \alpha \upsilon \tau \acute{\omega}$. 4. Propinquitas, $\kappa \alpha \iota \epsilon \nu \theta \upsilon \varsigma \delta \omicron \xi \acute{\alpha} \sigma \epsilon \iota \alpha \upsilon \tau \acute{\omicron} \nu$.

Analytis directi.

§. XVI. PRIMVM itaque assertum est: Nunc Filius Axioma 1. hominis glorificatus est, h. e. ipso illo tempore, imo ipso il-

lo die, quo passio ultima cœpit, glorificatus est. In explicanda hac propositione non audeo subsistere & acquiescere in eo, ut per hanc glorificationem intelligam ipsam illam proxime imminentem passionem & mortem Christi, cum insecuta resurrectione, ascensione & sessione ad dextram Patris. Ratio dubitandi hæc est: 1. Quia sic discederem à propria significatione verborum, & verbo præterito *ἰδοξάσθη* tribueretur significatus futuri, quod non nisi cogente gravi aliqua ratione fieri debet. 2. Quia de illa glorificatione, quæ in passione, morte & exaltatione fieri debebat, Christus mox agit in verbis sequentibus; necesse igitur est in hoc præsentis commate aliam, & ab illa futura distinctam, glorificationem intelligi. Neque res mihi difficultatem habere videtur, si verba hæc, *νῦν ἰδοξάσθη ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου* simpliciter, & prout verba jacent, intelligam de ea Christi glorificatione, quæ *ipso illo momento temporis perfecta*, ad finem perducta, plenum suum complementum, debitam suam integritatem sortita fuit. Quænam est illa? Respondeo, est complexus omnium illorum eventuum, per quos Christus, inde à nativitate sua usque ad illud temporis momentum, coram hominibus, coram angelis, & coram ipso etiam Deo, gloriosus fuit, & à Deo Patre gloriam accepit. Hoc factum est 1. in nativitate ipsius gloriosa. 2. In Officio ipsius Prophetico, cum doctrina sua animos ita percelleret, ut omnibus admirationi esset. Sic diserte Luc. IV. 15. *ἐδίδασκεν ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν, δοξάζομενος ὑπὸ πάντων.* 3. Per miracula ab ipso edita. Hoc testatur Johannes C. II. 11. *ἐφάνερωσε τὴν δόξαν αὐτοῦ.* 4. Per testimonium cœleste, quo publice declaratus est Filius Dei Matth. III. 17. XVII. 5. Joh. XII. 28. 5. Per excitatam in animis discipulorum fidem, qua ipsum agnoverunt esse Messiam, & Filium Dei. Matth. XVI. 16. Joh. VI. 69. 6. Per glorificationem in monte Matth. XVII. 1. sq. in hac enim accepit à Deo Patre *τιμὴν καὶ δόξαν*, ita ut ex ipsis disci-

discipulis quidam spectatores essent magnificentiae ejus, ἐπόπται τῆς ἐκεῖναι μεγαλειότητος 2 Petr. I. 16. 17. Ita omnia uno sermone Johannes complectitur C. I. 14. scribens: ἑθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτῆ, vidimus gloriam ejus. Manifesta scilicet fuit gloria Christi a) quoties agnitus est tanquam verus Propheta missus à Deo, & tanquam ipse Messias. b) Quoties etiam Divinitas ejus agnita est.

§. XVII. Video, quid mihi in contrarium possit opponi. *Quid ista*, inquit aliquis, *ad glorificationem presentem*, qua Christus NUNC dicit se esse glorificatum, cum passurus ac moriturus esset? Respondeo, in illo ipso articulo temporis *peracta* & completa fuit illa glorificatio. *Inchoata* cum ipsa Domini nativitate, & *continuata* per totum cursum vitae ejus inter homines actae, *nunc*, cum ad hunc diem ventum esset, *ad finem*, ad complementum, ad integritatem suam *perducta est*; itaque praecedentes illi actus glorificationis non excluduntur per voculam *nunc*, sed potius includuntur, significando, illis nunc denique cumulum & plenitudinem debitam accessisse. Quid autem fuerit id, quod Christus tanquam consummationem glorificationis suae hic praedicat, nullo certiori indicio potest cognosci, quam Christi ipsius, ex ultima ejus oratione ad Patrem Joh. XVII. 1 — 10. qui locus plane nostro est parallelus. Postquam dixerat *ψ. 8. verba quae dedisti mihi, dedi illis* (nempe discipulis) *Et illi receperunt, Et agnoverunt vere quod à Te exierim, Et crediderunt, quod tu miseris me.* Subjicit deinde *ψ. 10. καὶ δεδόξασμαι ἐν αὐτοῖς, Et GLORIFICATUS SVM in ipsis.* Habes in terminis, quid sit per glorificationem Christi, quatenus tum jam facta erat, intelligendum. Haec verborum sententia est: Nunc glorificatus est Filius hominis; Nunc filius Hominis peregit omnia quae in terris peragere debuit, (*) ut ex verbis & factis suis

agno-

(*) Dicis, anne ergo nihil amplius Domino restabat in terris? Restabant multa sane, sed *patienda*. Agendis erat perfunctus; ille dies ul-



agnosceretur esse Propheta missus à Deo, Messias, & omnino Filius Dei. Nunc satisfactum est scopo & intentioni illi, quam habuit missio ejus in mundum, ut inter homines glorificaretur. Glorificatus est 1. quia omnia docuit, omnia fecit, quæ necessaria erant, ut homines ipsum possent agnoscere. 2. Quia actu etiam nactus est selectissimos quosdam, qui ipsum jam fide recipere, & Messiam ac Filium Dei agnoscerent. Fuit hæc adeo glorificatio indicativa & manifestativa; & hoc modo hic demum determinatur, quod supra §. IV. suspensum tantisper reliqueramus.

§. XVIII. Atque ita etiam per hanc expositionem determinatur sensus parriculae *ὄν* (§. III.) Christus non remittit discipulos ad aliquem alium eventum, ex cujus existentia, tanquam signo, glorificationem ipsius intelligant. Simpliciter suos monet, hoc præsens momentum complere suam glorificationem. Itaque per se hæc vocula aliquid indicat, seque ipsam determinat. Absolute, non respective accipienda est.

Axioma 2. §. XIX. SECUNDUM in oraculo nostro *Axioma* hoc est: *Deus in Filio Hominis glorificatus est.* In hoc declarando concinit universa fere scriptura. Missio enim in mundum Servatore apparuisse & patefactam esse docet bonitatem & *Φιλανθρωπίαν* Dei, Tit. II. 11. III. 4. 1 Joh. IV. 9. Rom. V. 8. & sapientiam Ephes. III. 10. & justitiam Rom. V. 25. 26. & gloriam universam 2 Cor. IV. 6. Sed accedunt alia quoque. Dum Christus in his terris versatus est, docendo cognoscendum dedit hominibus Patrem Joh. I. 18. XVII. 4. coll. 6. & miraculis suis excellentibus persæpe homi-

timus erat muneris sui Prophetici in terris administrati. Matth. XXVI. 1. ideo velut exultans de cursu bene & optato cum successu peracto, cum ad metam pervenisset, ait: *nunc* glorificatus est Filius hominis. Innotuit est hæc in re Christum & plane ex Domini sui sensu & Spiritu de se simile quid scripsit Paulus 2 Tim. IV. 6. 7. 8.

homines ad Deum collaudandum compulit. Matth. IX. 8. XV. 31. Marc. II. 12. Ita *per Christum*, opera ipsius, Deus glorificatus est. Monui autem jam supra (§. VI.) illud *in auctō* non modo hoc, sed præterea aliquid majus & sublimius dicere. Nempe *in Christo*, in intimo animo ipsius glorificatus est Deus, accuratissimo illo obsequio, continuo illo ad Deum Patrem respectu, & perfectissimo studio promovendi honorem Patris Joh. VII. 18. VIII. 29. 49. 50. IX. 4. conf. Esa. L. 4. 5. ex quo etiam collaudatio ista profecta est, summo animi affectu celebrata, Matth. XI. 25. Dixi porro (§. cit.) vocem *θεός* hic non tantum personaliter sed etiam essentialiter, si vocum significatus in se spectetur, accipi posse. Jam autem ex rei ipsius consideratione patet, omnino *debere* sic etiam accipi, ita, ut in hac Dei glorificatione, quæ Filio hominis adscribitur, significetur simul aliquid, omnibus tribus Personis commune. Etenim in Christo non tantum glorificatus est Pater, sed & Filius Dei ipse, & Spiritus Sanctus. Conspicua est enim in *λόγῳ* gloria divina, quæ esset Filii unigeniti à Patre Joh. I. 14. & in miraculis Christi potentiam suam infinitam exseruit etiam Spiritus Sanctus. Matth. XII. 28. Act. X. 38. Accedit, quod in Christo patefacta sit sapientia, misericordia, potentia, veracitas Dei, quæ sunt attributa Dei essentialia, pertinentia ad majestatem divinam omnibus tribus personis Deitatis communem. Omni ergo sensu, quem verba hæc habere possunt, verum est, Deum esse in Christo glorificatum.

§. XX. Sequitur TERTIUM Axioma: *Deus porro Filium hominis glorificabit, & quidem in se ipso, idque statim.* Axioma 3.
Non difficile est ostendere, in quo consistit hæc glorificatio, quam Christus tum quidem futuram dicit. Constabat in exaltatione, quæ mortem Christi secuta est, nempe 1. resurrectione ex mortuis, 2. ascensione in cælum, 3. collocatione ad dextram Dei, 4. effusione Spiritus Sancti, 5. præconio Evangelii de Christo, conjuncto 6. cum divi-

divina efficacia Spiritus S. & 7. cum virtute miraculorum, ex quo 8. regnum Christi in mundo, constituta ecclesia erectum, firmatum, defensum, propagatum, servatum, instauratum, amplificatumque fuit, atque etiamnum perstat, & mansurum est usque ad Seculi consummationem. De hac Christi Domini glorificatione agunt loca Joh. VII. 39. XII. 16. Act. III. 12. coll. 15. 16. Rom. I. 4. XIV. 9.

Explicatur
ἐν θύς

§. XXI. Non majorem difficultatem habet, quomodo intelligi debeat, quod dicitur, ἐν θύς δοξάσει αὐτὸν, statim glorificabit eum. Statim enim in ipsa passione, & in morte, multo magis vero post mortem, Christus à Deo glorificatus est. *In passione* quidem; quia innocentiae ipsius testimonium non unum publice, Deo dirigente, debuit perhiberi. *In morte*, tum per miracula illa insignia, tum per duos è media gente judaica proceres, qui sepulcrum Christi curando, fidem suam, qua ipsum Messiam agnoscerent, publice professi sunt. *Post mortem*, omnibus illis modis qui §. præcedenti jam sunt enumerati. Quibus addendum censeo ultimum illud excidium urbis Hierosolymitanæ, & judaicæ gentis, modo maxime illustri vindicans causam Christi & ecclesiæ contra infidelitatem & furorem Judæorum, & comprobans vaticiniorum Domini veritatem immotam, omnibusque, qui etiamnum Christi nomen invocant, admirabilem.

ἐν ἑαυτῷ

§. XXII. Illud autem altioris indaginis est, quod Christus addidit: Deus glorificabit illum ἐν ἑαυτῷ, in se ipso. Facilior explicatio foret, si dictum esset παρὲν αὐτῷ, apud se ipsum. Tunc enim ita res concipi posset, ut alia diceretur glorificatio Christi in mundo & apud homines, alia apud Deum, in cælo, ad dextram Patris sedente filio hominis. Sed quum in oraculo nostro positum sit ἐν ἑαυτῷ in se ipso, manifestum est omnino, aliquid multo majus, multo sublimius dici. Temeritatis esset, hæc divina arcana curiose velle rimari: Sed tamen licebit, vel potius officia

officii nostri est, religiosa cum modestia ipsa Domini verba meditari. Post inquisitionem non indiligentem apud interpretes non potui invenire in quo animus cum fiducia acquiesceret, nisi hoc, significare hæc verba *infinitam gloriae Christi magnitudinem*. Dicitur enim Deus Christum glorificaturus. Jam quænam erit hæc gloria? cui similis? unde existet? unde sumetur, ut conferri possit in Christum? ad has quæstiones omnes unum hoc præsto est responsum: *IN SE IPSO Deus illum glorificabit*. Non potest, qui Deum ac verbum ejus veneratur, aliter explicare sublimissimum effatum, quam hoc modo: *Ipsum sistet eadem, quam Deus Pater habet, Gloria ac Majestate conspicuum*. Vis hujus formulæ nos plane redigit ad cogitandum de gloriae illius quæ in Christo homine manifestata eique collata est, *identitate cum Gloria Dei Patris*. Quocunque se vertat humanum ingenium, quoscunque excogitet modos vel sensus, quibus Christus dici queat glorificatus *in ipso Deo*, multum erunt infra vim horum verborum significantissimam. Confirmat hanc expositionem locus Joh. XVII. 5. 14. ubi gloria hæc dicitur illa esse, *quam Filius Dei habuit apud Patrem ante, quam mundus conderetur*.

§. XXIII. Facere non possum, ut *nexum*, qui inter Deum à Filio glorificatum & futuram deinde Filii glorificationem intercedit, plane intactum dimittam. Manifestus est talis *nexus* inter utramque glorificationem. Dicitur enim, si Deus in Christo glorificatus est, hoc est, *quia glorificatus est* (§. VII.), ideo Deus ipsum vicissim glorificabit in se ipso. Idem est Joh. XVII. 4. 5. Hunc nexum Romanæ Ecclesiæ Doctores causalem & meritorem faciunt. Christo Patrem glorificantem dicunt hanc debitam fuisse mercedem, ut in remunerationem vicissim glorificaretur. *Christum sibi ipsi meruisse corporis gloriam, & omnia illa, quæ accepit post passionem suam* docet BELLARMINVS 5. de Christo 9. post LOMBAR- DVM 3. Sent. Dist. 18. Quando autem ulterius determinari debet, *quid* igitur Christus sibi ipsi meruerit, non omnes idem



idem sentiunt; quidam etiam quaestionem totam plane negant. Atque haec Nostratium Theologorum Sententia est. Non existimant quidem hanc de articulo aliquo fidei & momentosam esse controversiam, ut expressis verbis monet JOH. GERHARDVS *Confess. Cath. p. 507.* Sed tamen censent merito Christi pro nobis praedictum quoddam posse creari per sententiam, quod Christus aliquid sibi ipsi meruerit; unde malunt negativam tueri sententiam, cui nec desunt argumenta. Christus quoad divinam naturam gloriam infinitam habuit ab aeterno, & retinuit immutabiliter; & in consortium hujus gloriae venit humana natura inde a primo incarnationis momento: vid. Joh. XVII. 5. I. 14. Col. II. 9. non ergo demum per meritum aliquod acquirenda fuit. Et Sacra Scriptura, ubi de glorificatione Christi sermo est, utitur hujusmodi verbis, quae plane excludunt notionem meriti, aut mercedis merito partae. Sic Phil. II. 9. est verbum *ἐχαρίσατο*, & Ebr. I. 4. verbum *κεκληρονόμηκε*. Plura argumenta habet JOH. CALVINVS, cujus haec verba sunt *Instit. Christ. Rel. L. II. C. XVII. §. 6. p. 170. Querere vero an sibi ipse meruerit (quod faciunt Lombardus & Scholastici) non minus stulta est curiositas, quam temeraria definitio ubi hoc idem asserunt. Quid enim opus fuit descendere unicum Dei Filium, ut sibi acquireret quicquam novi? Et consilium suum exponens Deus omnem dubitationem eximit. Non enim Filii utilitati consuluisse dicitur Pater in ejus meritis, sed eum tradidisse in mortem, neque ei pepercisse: quia mundum diligeret. Et notandae sunt locutiones Propheticae, Puer natus est nobis. Item, exulta filia Sion: ecce Rex tuus venit tibi. Frigeret etiam alioqui confirmatio illa amoris, quam Paulus commendat, quod Christus pro inimicis mortem subierit. Inde enim colligimus, rationem sui non habuisse: idque clare affirmat, dicens: pro illis sanctifico me ipsum. Se enim sibi nihil acquirere testatur qui fructum sanctitatis suae in alios transfert. Et certe hoc maxime dignum observatu, quod Christus, ut se totum addiceret in Salutem nostram, quodammodo sui oblitus est. Haec ille. Secuti sunt ac retinuerunt Reformati hunc typum docendi,*

ita

ita quidem, ut cum superiori Seculo quidam ab eo deflecterent, dissenfum suum palam testarentur reliqui. Sic JOH. PISCATOREM Prof. Herborensis, qui docere cœperat, Christum pro nobis satisfecisse passiva tantum sua obedientia, per activam vero pro se ipso Deo satisfecisse, Synodus Gallica Reformatorum Vappinci in Delphinatu habita per Epistolam ejus rei gratia scriptam A. 1603. admonuit, ne pateretur dogmate non probo, & pugnante cum Evangelio, Ecclesiarum pacem perturbari. Vid. Præstantium & eruditiorum virorum epistolæ ecclesiasticæ, p. 121. edit. Amst. 1704. fol. ubi sub num. 67. habetur epistola Synodi, & num. 68. PISCATORIS Responsum, in quo sententiam suam defendit. Durius illi sententiæ, cum à Cartesianis & Coccejanis theologis proponi cœpta esset, se opposuerunt reliqui Theologi Belgæ. Vid. SAM. MARESII Systema Loc. X. §. 45. annot. d. p. 556. ubi de iis ait: malunt Anti-Calviniani esse, quam non contis & remis, quantum possunt, propius solito ad Pontificios & Socinianos accedere. Deberet videri hæc controversia non magni momenti, ubi tantum rixabamur cum Pontificiis, sed ubi Sociniani eo processerunt, ut omne Christi meritum pro nobis imperterrite negarent, & si quid potuit habere meriti, in sui solius usum omne converterent, valde refert hanc nostram sententiam admitti ab omnibus iis, qui nolunt occulte *συνοχησεν* cum his pestilentissimis hæreticis., Diserte vero docet COCCEJVS & qui methodum fœderalem sequuntur, Christum sibi ipsi meruisse gloriæ præmium. Vid. JOH. COCCEJI Summa doctrinæ de fœdere & testamento Dei, Cap. V. §. 102—107. p. 69. sq. Item HERM. WITSI Oecon. Fœd. Dei, Lib. II. C. III. §. 32. p. 156.

§. XXIV. Nos manemus in hac simpliciore explicatione nexus illius, ut agnoscamus, totum hoc pendere à decreto & ordinatione Dei, ut antecederet glorificatio Patris per Filium, sequeretur glorificatio Filii à Patre. Hunc nexum ordinis loco non uno docet scriptura. Luc. XXIV. 26. Christus ipse, nonne oportuit, inquit, Christum pati, ET



SIC intrare in gloriam suam? Sic Petrus I, I, II. scribit, Spiritum Sanctum ante testatum esse, eventuras Christo perpeffiones, καὶ τὰς μετὰ ταῦτα δόξας, & gloriam illas consecuturam. Ultra progredi, & quem respectum illæ ad hanc habeant, scrutari, nihil tale definiente aut docente sacra scriptura, quid attinet? Particulæ δι, לכן, כן — על, quæ in locis ad quæ provocare solent (Ps. XLV. 8. Esaj. LIII. 10. 12. Phil. II. 8. 9. Ebr. XII. 2.) occurrunt, non præcise causam rei alicujus, adeoque nec meritum, exprimunt, sed tantum inferunt consequens in ratiocinatione. Hoc B. SAL. GLASSIUS L. III. Philol. S. tr. VII. can. XXII. p. 1133. sqq. de particula δι multis exemplis ostendit.

Confectaria
Dogmatica.

§. XXV. Superest ut ex oraculo nostro, quod hæcenus quoad verba, quoad circumstantias singulas, & quoad res ipsas consideravimus, sub finem tractationis nostræ *confectaria* quædam deducamus, & quidem tum *Dogmatica* tum *Practica*. *Dogmaticorum* hæc damus specimina:

1. Christus est verus Messias. Sufficenter glorificatus est ante mortem suam; accessit porro post mortem immo in ipsa morte nova glorificatio. Contra Judæos.

2. Deus IN CHRISTO glorificatus est. Ergo à vera Dei cognitione nunc post lapsum cognitio Christi abesse non potest. Ipsorum operum Dei tum demum plene decus verum agnoscitur, si Christi cognitione illustrata sit. In hac fundamenta quærenda sunt genuinæ Theodiceæ. Quisquis Christum Filium Dei contemnit, idem etiam Patris gloriæ detrahit.

3. Christus A DEO glorificatur. Hunc Achillem Abnegatoribus Divinitatis Jesu & hostibus quibuscunque Gloriæ Christi opponimus. Blasphemi sunt, qui Dogma de Christi Divinitate pro figmento humano traducere sustinent. Frustra agunt, qui gloriam Christi convulsum eunt. Divino fundamento exstructa est.

4. Deus Christum glorificat IN SE ipso. Ergo eadem, quam ipse habet, gloria. Multum aberrant à vero, qui Christum quidem Deum & verum Deum esse fatentur, sed Deum factum, h. e.

crea-

creaturam, quæ ad gloriam divinam super omnes alias creaturas exaltata sit. Hoc modo glorificari non est in ipso Deo glorificari.

5. Deus Christum à passione & morte ἐν θανάτῳ, STATIM glorificaturus erat. Ergo dudum glorificatus est; & satis abunde quidem patefacta est illa glorificatio. Si parte sua potissima abscondita est etiamnum: Perstat tamen, agnoscitur, celebratur, & pergit atque progreditur per medios hostes, dum illis ordine, qui dudum cœpit, triumphatis, plena luce effulgebit. Hæc fidelium expectatio & gloriatio est.

6. Quo magis gloria Christi extenuatur & minuitur apud homines, eo plus detrahatur hypostasi fidei, quæ una verum robur spirituale præstare, atque ad subeundas & superandas tentationes fortitudinem inspirare potest.

§. XXVI. Liceat paucula Vsum sive Consectariorum practicum, eorum nempe, quæ ad officia nostra, ad officiorum motiva, ad prudentiam justorum, ad constantiam animi christianam pertinent, exempla adjicere.

Practica

1. Christum à Patre ad infiniti honoris culmen evectum negligere aut contemnere nemo sine piaculo potest. Quamvis enim ipsi gloriæ Christi nihil detrabi possit; Glorificatur enim etiam in media hostium contumelia, & post aliquanti temporis indulgentiam magis glorificatur per triumphum de hostibus suis. Psalm CX. 1. 2. II. 9. 11. 12. tamen horum in numero esse, qui per cladem suam tristissimam Filium Homini glorificare coguntur, quis optabile ducat?

2. Glorificatio Christi est meta, ad quam totum Dei Regimen in hoc mundo decurrit. Ad eandem metam unumquemque decet se ac studia quoque sua universa componere. Col. III. 17. 1 Cor. VI. 20.

3. Glorificationem Dei sequitur mutua glorificatio, vicissim expectanda à Deo. Nunquam deseruntur, qui causam Dei fideliter agunt. 1 Sam. II. 30. Job. XII. 26. Nihil hoc motivo nobilius cogitari potest.

4. Sapientis est, vigili oculo attentum esse ad illa tempora, quibus Deus se in regimine suo singulari modo gloriosum demonstrat, nec non ad momenta rei, etiam quantum in nobis est, ad gloriam Dei bene gerendæ. Hoc si in bello & in omni vitæ actu valet, valebit.




lebit multo magis in militia Christiana, ut illud vōv observemus sol-
lenter, quoties singularis occasio datur ad Deum glorificandum.

5. Tristis rerum facies externa sapientem non turbat. Nun-
quam magis gloriosus est Deus in fidelibus suis, quam cum minime
gloriosus humano captui & iudicio esse videtur. Multum distat
a cogitatis humanis divina ad gloriam via.

CLARISSIMO DOMINO RESPONDENTI, COGNATO SVO
HONORATISSIMO,
S. P. D. PRÆSES.


Cum obtulisses mihi Dissertationem a TE conscriptam ad
locum hunc Johanneum, non modo id valde probavi,
quod locum Scripturæ selectum atque insignem tractandum
TIBI sumferas, sed etiam in ipsa tractatione diligentiam de-
prehendi, & attentionem ad verba accurate investiganda ad-
hibitam, nec non profectus in Theologia Dogmatica atque
Polemica laudabiles, conspicuos imprimis in copiosa tracta-
tione doctrinarum quarundam, quæ huic oraculo insunt aut
ex eo proxime consequuntur. Quo igitur magis perpolire-
tur scriptum laude dignum & utilitate sua non cariturum ap-
ud Lectores, suppeditandum TIBI existimabam, quid mi-
hi videretur de ordine, quo institui commode posset exege-
ticum Specimen, adjectis pauculis, quibus a TE laudabiliter
scripta hinc pleniora, illinc contractiora effici posse cense-
bam. Atque sic nata est præsens Dissertatio, de qua fas esse
puto publice profiteri, maximam ejus partem TVÆ deberi
industriæ; ordinem tantum tractationis, & pauca quædam
mea esse. Eam dum nunc luci publicæ sistimus, DEVM socia-
ris votis rogamus, velit pagellis hisce, in quibus de Gloria
Ejus agitur, benedictionem suam cœlestem non denegare!
Eundem autem etiam TIBI propitium, ac studiis TVIS cum
laude adhuc apud nos continuatis, faventem, etiam atque
etiam ex animo precor. Scripsi Tubingæ,
a. d. IX Sept. clōbCCLVIII.


TANTVM











ad gloriam divinam super omnes alias creaturas modo glorificari non est in ipso Deo glorificari. *ristum à passione & morte evdus, STATIM t. Ergo dudum glorificatus est; & satis abunde est illa glorificatio. Si parte sua potissima abnum: Perstat tamen, agnoscitur, celebratur, & reditur per medios hostes, dum illis ordine, qui umphatis, plena luce effulgebit. Hac fidelium exatio est.*

is gloria Christi extenuatur & minuitur apud ho- letrahitur hypostasi fidei, quæ una verum robur e, atque ad subeundas & superandas tentationes irare potest.

Liceat paucula Vsuum sive Confectariorum **Practica.** orum nempe, quæ ad officia nostra, ad of- a, ad prudentiam justorum, ad constantiam m pertinent, exempla adjicere.

à Paire ad infiniti honoris culmen evectum negli- re nemo sine piaculo potest. Quamvis enim ipsi il detrabi possit; Glorificatur enim etiam in me- melia, & post aliquanti temporis indulgentiam per triumphum de hostibus suis. Psalm CX. 1. 2. i horum in numero esse, qui per cladem suam tri- lominis glorificare coguntur, quis optabile ducat? io Christi est meta, ad quam totum Dei Regimen urrit. Ad eandem metam unumquemque decet se ua universa componere. Col. III. 17. 1 Cor. VI. 20. ationem Dei sequitur mutua glorificatio, vicissim o. Nunquam deseruntur, qui causam Dei fide- n. II. 30. Joh. XII. 26. Nihil hoc motivo nobilius

est, vigili oculo attentum esse ad illa tempora, egimine suo singulari modo gloriosum demonstrat, nta rei, etiam quantum in nobis est, ad gloriam Hoc si in bello & in omni vita actu valet, va- lebit